



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

§. V. Quæ sit Conciliorum in genere divisio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



Animarum Pastores deceant Episcopos, Spirituales, esse debent.

C. 10. CAUS. II. QUÆST. V. probat, non licere Potestati Sæculari propriâ autoritate Concilia convocare.

C. 2. DIST. XCVI. docet, quæstionum, quæ in Conciliis tractantur definitionem, ad solos Episcopos pertinere. Canones quibus infra ostenditur solos Episcopos Conciliis Provincialibus interesse ut Judices, idem probant, à minori ad majus, de quolibet Concilio; cum id genus Concilii sit inter Concilia minimum.

## §. III.

*Quis Conciliorum FINIS.*

## REGULA.

Non ob aliud convocantur Concilia, quàm, ut aliquid circà Fidem, vel Mores, sive internos, sive externos, vel pacem Ecclesiarum statuatur. C. 2. DIST. LXIII.

C. 2. 3. 4. DIST. XCVI. Huc referri possunt item C. unic. SESS. XVII. C. 2. 21. SESS. XXIV. Concilii Tridentini.

*Regula.* RATIO hæc est: Conciliorum, quæ extrâ ordinem convocantur, triplex tantum est occasio, vel causa. Hæreses enim, vel Schismata, vel Abusus, ad eorum convocationem movent. Si autem, ad Hæreses damnandas convocantur, habent pro fine ipsam fidem, cujus conservationem, vel explanationem, intendunt. Si, ad Schismata tollenda congregantur, Ecclesiæ pacem respiciunt, eamque pro fine habent. Si, ad corrigendos mores, tum internos, tum externos, circà utrosque enim possunt esse abusus, mores contingunt, ad eosque, ut ad finem, referuntur. Concilia verò, quæ statis temporibus convocantur, vel aliàs convocantur, dum vigeant Canones, qui illa præcipiebant, non ob aliud præcepta erant, quàm, ut exorta circà fidem vel mores dubia, introducti abusus, turbæ excitatæ, vel lites, finirentur; ideoque ob tres fines in *Regula* memoratos.

Præterea, convocantur Concilia, ad publicum Ecclesiæ bonum: Triplex est autem Ecclesiæ bonum: Nempè, Veritas, Unitas, & Sanctitas. *Veritati* inserviunt Concilia, quæ ad tollenda circà fidem dubia convocantur. Quæ ad conciliandum pacem, *Unitati*: quæ ad tollendos vitiosos abusus, *Sanctitati*. Itaque, non alii debent esse Conciliorum fines, quàm in *Regula* contenti.

Dices fortassè, primum ex his finibus convenire tantum Concilio Universali; quia fides est Causarum Majorum præcipuâ, quæ sine Papæ autoritate definiri nequeunt, isthac verò non interponatur Concilio Particulari. Sed, ad id respondetur, quòd varii Canones docere videantur, quæstiones fidei, in prima Instantia decidi posse à Concilio Particulari, & inter alios, C. 5. 12. 13. 14. 16. DIST. XXX. quibus à *Conc. Gangr.* damnantur errores nonnulli Manichæorum, ad fidem nonnihil pertinentes.

## §. IV.

*De convocandi & præsidendi potestate, & de Sessionis ordine.*

## REGULA I.

Ejus est convocare, cujus est præsidere: qui autem est vel Dignitate, vel Ordinatione prior, is jure præsidet.

RATIO est: Ad convocandum, & ad præsidendum, requiritur superioritas ergà illos, qui convocantur, & quibus præsidetur.

## REGULA II.

Undè sumitur præsentia, indè petitur Sessionis ordo.

*Ratio*: Præsentia aliave præcedentia, digniori debetur.

Utraque *Regula* infertur è C. 7. DIST. XVII. C. 1. DIST. XVIII. C. 2. SESS. XXIV. cit.

## §. V.

*Quæ sit Conciliorum in genere DIVISIO.*

## REGULA I.

Non est nisi duplex Conciliorum in genere Divisio, *Substantialis* & *Accidental*.

RATIO. In Conciliis, ut in aliis rebus, nihil est aliud, quàm Substantia & Accidentia. Divisio, quæ à Substantia petitur, *Substantialis* dicitur: quæ verò ab Accidentibus, *Accidental*.

Hanc Divisionem insinuat C. 4. DIST. XVII.

## REGULA II.

Omne Concilium, secundum substantiam consideratum, est vel *Generale*, vel *Particulare*.

RATIO Divisionis. Omne Concilium non Generale est Particulare: propterea non est Concilium, nisi Ecclesia congregata: Ecclesia autem, vel tota, vel pars ejus: si tota, est Concilium *Generale*: si pars, est Concilium *Particulare*.

Hæc Divisio vocatur *Substantialis*; quia Concilii Generalis anima, nempè Spiritus Sanctus, ut est Spiritus Veritatis & Sanctitatis, substantialiter differt ab anima Concilii Particularis, quæ est mens humana sibi derelicta, quoad divagationem, vel deviationem à Veritate, & à Sanctitate, cum sit errori & vitio obnoxium.

## REGULA III.

Concilium, tam Generale, quàm Particulare, juxtà Accidentia spectatum, est vel *Ordinarium*, vel *Extraordinarium*.

RATIO. Vel convocantur præfixo ab aliis Conciliis tempore; Talia sunt, quoad Particularia, quæ præcipiuntur. C. 2. 4. 6. 7. DIST. XVIII. C. 24. de *Conf.* DIST. III. &, quoad Generalia, quæ, quæ à Conciliis *Constantiensis* & *Basilien*s: Vel datâ occasione; talia sunt omnia ferè Concilia Generalia, ac benè multa Concilia Particularia, &, inter alia, quæ in veteri Canonum Codice Ecclesiæ Universæ continentur. Nota, circà 2. & 3. *Regulam*, quòd Concilium Particulare vocatur quandoque Generale: idque, quia, licèt Particulare sit, respectu Concilii Oecumenici, quod est absolute Generale, est tamen Generale, respectu plurium Conciliorum Particularium, quæ sub se comprehendit. Hujus observationis exemplum habes, in C. 4. DIST. XVII. sed clariùs, in C. 244. *Part. IV.* IVONIS.

## §. VI.

*Ad quem pertineat Conciliorum INTERPRETATIO, & quomodo sit faciendâ?*

## REGULA I.

Juridica Conciliorum Interpretatio pertinet ad Episcopos, qui Conciliis adfuerunt, eorumque Successores; sed præcipuè ad illum, qui præfuit, ejusque Successorem.

RATIO.